



*Vd. 174.*  
*2.*



546. 40.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE  
IVRE PRAELATIONIS FISCO,  
INTVITV TRIBVTORVM, PRAE  
CREDITORE HYPOTECARIO, CVIVS SIMVL  
PECVNIA FVNDVS EST ACQVISITVS, ET  
CVI DOMINIUM A VENDITORE CESSVM,  
COMPETENTE,

QVAM  
DIVINIS AVSPICIIS  
IN ACADEMIA IENENSI  
EX DECRETO  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
PAVLO WILHELMO SCHMID, ICTO

PROFESSORE PVBL. ORDIN. SERENISS. DVCS SAXO-COVRG.  
CONSILIAR. AVLIC. CVRIAE PROVINC. FACVLT. IVRID.  
ET SCABINOR. COLLEGII ASSESSORE

PRO GRADV DOCTORIS  
IN VTROQVE IVRE RITE ET MORE MAIORVM OBTINENDO  
AD DIEM XX. SEPT. A.O.R. MDCCLX.  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR  
IO. CAROL. BAVR AB EYSENECK  
MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

IENAE, LITTERIS SCHILLIANIS. 6)

30.



PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS  
ATQVE EXCELLENTISSIMIS  
DOMINIS

DOMINIS  
DIRECTORI

AC

RELIQVIS MEMBRIS

ANTIQVISSIMI GANERBIATVS  
NOBILITATIS

IN ALT-LIMPVRG

PATRONIS ATQVE FAVORIBVS

PIE AETERNVMQVE DEVENERANDIS

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

GRATISSIMAE DEVOTISSIMAEQVE MENTIS

PVBLICE TESTIFICANDAE

ERGO

D. D. D.

IOAN. CAROLVS BAVR ab EYSENECK.



VIRI  
PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI  
ATQVE EXCELLENTISSIMI  
PATRONI AC FAVTORES  
AD CINERES DEVENERANDI



*quodsi etiam nullo eiusdem stirpis  
mibi cogniti essetis vinculo, ob  
summam tamen, quam maximo  
generis antiqui splendore  
aequatis, VESTRAM in me gratiam, enixe roga-  
rem, vt Specimen hoc quaecumque est, in aucto-  
ritate*

ritate VESTRA VESTROQUE patrocínio con-  
quiescere gratiose sinatis. Verum enim vero,  
VOS iure aliquo eximio rem forsitan, sed tamen  
aliquem eiusmodi studiorum meorum fructum  
expectare a me, et repetere mihi videmini.  
VOS quippe ante hoc quadriennium et quod ex-  
currit, me ad hanc academiam abitum parantem  
humanitate summa atque liberalitate complecti  
et beneficia in me conferre insignia dedignati  
haud estis. Nollem sane in amplissimas VESTRAS  
excurrere laudes. VESTRA enim et de Familia  
et de Republica nostra florentissima splendidissima  
merita, quotquot sunt, tot ipsis prostant non testes  
sed præcones. Generis autem solita et conspecta  
iam iam satis, cum antiquitate coniuncta præstan-  
tia, et quæ sola nobilitat virtus ex ipso splendido  
ac celebrato satis legato, quod a beata et genero-  
sissima quondam institutum Virgine DE SCHAD,  
in me conferre voluistis, insigni modo apparet.  
VOBIS itaque, siquidem a Deo discesserim, vnice  
debeo, quod non in Gymnasio nostro celeberrimo  
solum, verum etiam in hacce Salana Musarum sede  
fortunæ meæ huiusque vitæ felicitatis funda-  
menta stabilire potuerim. Tanta igitur est  
VESTRORVM in me collatorum beneficiorum  
multitudo et amplitudo, vt ingratiſſimus omnino  
omnium horumque beneficiorum immemor immo  
X 3 indignus

*indignus forem, nisi primam hancce eamque diu  
exoptatam, VOBIS deuinctissimam meam mentem  
publice declarandi occasionem cupidissime arripe-  
rem VOBISQUE, quorum cura adiuuante, tot ac  
tanta mihi parta sunt atque etiam nunc pariun-  
tur commoda, publicam gratiarum actionem re-  
ferrem, superque ea purissima animi grati atque  
deuoti sacrificia offerrem. Accipite quaeso, VIRI  
PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI atque EX-  
CELLENTISSIMI, serena fronte leuidense hoc  
doctrinae specimen dignumque habeatis VESTRA  
attentione, quod VOBIS deuotissima mente offero,  
non vt munus, sed vt sempiternum deuotae mentis  
meae in VOS pietatis signum. Vellem sint maiora  
in potestate mea sita. Deum optimum maximum  
pro eo ac debeo supplex semper veneror, velit  
VOS, VIRI PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI  
atque EXCELLENTISSIMI! sospites incolu-  
mesque seruare, vt in honorem VESTRVM et  
reipublicae diu valeatis et floreatis. Valet,  
PATRONI PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI  
et EXCELLENTISSIMI, ac, si mereor, pro hu-  
manitate VESTRA GENEROSISSIMA me quo-  
que in posterum VESTRA exoptatissima gratia  
dignum habeatis. Dabam in Academia Ienensi.*

*Die XVIII Septembris.*

MDCCLX.

CON-





## CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

---

- §. I. II. III. *Praemissis definitionibus et diuisionibus pignoris, tributorum et fisci,*
- §. IIII. *Enuincitur ius fisci competere statibus imperii et in his ciuitatibus imperialibus liberis, nec non*
- §. V. *Certo modo magistratibus ciuitatum municipalium,*
- §. VI. *Aequitas fauoris, quo fiscus gaudet, probatur, simulque lex 10. ff. de iur. fisci explicatur.*
- §. VII. *Præuilegium fisci potissimum consistit in hypotheca tacita cum iure prælationis præ aliis creditoribus, coniuncta.*
- §. VIII. *Haec hypotheca certo modo est specialis et generalis, atque*
- §. VIII. *Initium capit non a tempore soluendorum, sed impositorum tributorum.*
- §. X. *Quaestio proponitur: numme creditori priuato, qui non tantum hypotheca expressa anteriore gaudet, sed cuius pecunia fundus quoque emtus fuit, quique cessionem domini a venditore impetrauit, fiscus præferatur?*
- §. XI. *Rationes, ex quibus creditor fisco præferendus uidetur, exponuntur.*
- §. XII.



- §. XII. Argumenta antecedentia remouentur, et quidem primo loco monstratur, tributis ius potius quam istis, quorum pecunia fundus est acquisitus, competere.
- §. XIII. Deinde, quod dominium a venditore creditori cessum, isti praeserentiam prae oneribus realibus operari nequeat.
- §. XIII. Tertia obiectio a iure separationis desumpta eliditur, et
- §. XV. Lex, quae obstare videtur, exponitur.
- §. XVI. Ius separationis contra fisco, secundum leges, quasdam peculiare patrias plane non potest allegari.
- §. XVII. Dubium de iniquitate apparente circa privilegia, quae leges fisco concedunt, mouetur et
- §. XVIII. Remouetur, ex eo, quod securitati creditorum partim per ipsorum vigilantiam prospici possit,
- §. XVIII. Partim iam prospectum sit, et quidem non tantum generatim, sed et
- §. XX. Per iura nonnulla patria statutaria, nimirum Schaumburgicum, Brandenburgicum et Vinariense.
- §. XXI. Usurae quoque residui tributorum iuxta rigorem iuris communis, non autem ex usu fori et iuxta aequitatem ex massa bonorum peti possunt.



PRO-



## PROOEMIUM.



**C**OGITANTI mihi de themate dissertationis inauguralis eligendo, quod speciale, utile et iterata vice iamiam expositum non reperiatur, sine longa deliberatione occurrebat quaestio de prioritare fisci et reliquorum creditorum, exorto inter eos circa praecedentiam propter solutionem certamine, doctrina profecto variis, iisque sat grauibus eum in modum abundante controuersis, vt earum deductionem paucis pagellis me vix

A

com-



complecti posse, praeuiderem, ideo specialem istam quaestionem, de iure praelationis, fisco intuitu onerum realium prae reliquis creditoribus etiam hypothecariis antiquioribus competente, excutiendam constitui. Quemadmodum enim regula ista Ictorum vulgata, quod nimirum in concursu creditorum fisci hypoteca tacita praeferenda sit priuatorum pignoribus ac hypothecis, argumento ducto a commodo publico, cui fiscus inferuit, priuatorum utilitati praeferendo, varias experta est contradictiones quia legale pignus interdum collidit cum pignoribus talibus, quae ex ratione utilitatis publicae eundem fere, quem fiscus, merentur fauorem: ita thesin meam aduersus contradicentes per argumenta et probationes, ab aliis hucusque speciatim non explicatas in praesenti specimine inaugurali defendere et ita explicare constitui, ut euolutis terminis occurrentibus et praestructis fundamentis necessariis, speciales deducerem conclusiones, nec non limitationes et exceptiones, quae admitti posse mihi videbantur, adiiicerem.



## §. I.

**P**IGNVS, in sensu latiori sumtum est ius in re quacun-  
que pretium habente alteri in securitatem crediti  
constitutum. Cumque istud ius vel ita constitui pos-  
sit, vt res creditori tradatur, vel ita, vt traditio non sequatur,  
ideo prius dicitur *pignus in specie sic dictum*, posterius autem  
*hypoteca*. Diuisiones potiores sunt sequentes: Nimirum  
pignus est vel *publicum*, quod vel a lege vel a iudice, vel  
iuxta placita iuris ciuilibus, coram tribus testibus tribuitur,  
vel *priuatum*, siue *conuentionale*, quod priuati extra iudi-  
cium, mediante pacto, concedunt. Publicum, a lege  
immediate et incio nec consentiente debitore, constitu-  
tum, *tacitum*, siue *legale*; et istud, quod per iudicem, acce-  
dente consensu debitoris, creditori acquiritur, *expressum*  
siue *iudiciale* vocatur. Porro ratione obiecti pignus  
siue hypoteca est vel *uniuersalis*, quae omnia debi-  
toris bona simul, vel *particularis*, quae bona saltim speci-  
fice nominata afficit. Denique pignus, siue hypoteca  
*qualificata* dicitur, quae singularibus iuribus ac priuilegiis  
munita *aliis* praecedit, *simplex*, quae eiusmodi priuilegiis  
destituta est.



§. II.

Porro in rubro dissertationis occurrunt voces : *tributa* et *onera realia*, sub quibus intelligo praestationes ordinarias aequae ac extraordinarias ipsis fundis impositas et cum iis cohaerentes, domino territoriali et certo modo magistratibus quoque, qui iuribus fisci in tantum gaudent, soluendas. Ideoque de collectis personalibus nec non de poenis fisco applicandis, hic plane sermo non est. Plures autem denominationes et species pensionum eiusmodi hic recensere, superuacaneum duxi. *a)*

§. III.

*Fiscus*, qui denominationem accepit ab instrumeto, quo ad premendam oleam olim utebantur agricolae, *b)* vel a sportis, siue receptaculis, quibus pecuniae quaelibet, praecipue autem publicae de loco in locum transferuntur, *c)* mihi hic, et quidem in sensu generali sumtus, est: vniuersitas rerum ac reddituum ad principem vel rempublicam spectantium. Speciali autem significato *fiscus* de bonis ac redditibus ad Principem priuatiue pertinen-

*a)* plures species enumerat RICHTER in disert. de collect. membr. I.

*b)* L. 19. §. 2. ff. locat. cond. BARNAAB. ERISSON, de V. S. voce *fiscus*.

*c)* SVETON. in Claud. cap. XVIII. PFEFFINGER. in VITRIAE illustr. Lib. III. Tit. XVIII. num. 71. Not. a.



inentibus, *Aerarium* contra de iis, quae ad Rempublicam vel integrum populum spectant, communiter accipitur. a) Istud tamen discrimen non tam tempore liberae Republicae Romanae, quam potius sub Imperatoribus quibusdam obtinuit, crescente autem eorum potentia iterum cessavit. b) Hodie in plurimis prouinciis Germaniae, non autem in omnibus, distinguitur inter fiscum, siue cameram, et inter aerarium publicum siue Statuum Prouincialium, et denique inter Principis patrimonium priuatum. c)

## §. IIII.

Nunc disquirendum esset, cuiusnam hodie in imperio Germanico competat ius fisci. At enim vero nimis longa haec disquisitio, nec huius loci esset; ideoque hoc saltem generatim moneo: quod de Principibus ac Statibus Imperii,

A 3

perii,

a) PLIN. in Panegyri. Traiani lib. 36. HEINECC. elem. Iur. N. et G. lib. II. cap. VIII. §. 274. sq. HOCHSTÄTTER Colleg. Pufendorf. exerc. XII. §. 9. EINSIEDEL de regal. cap. III. §. 8. sq. 10. YANEZ PARLADOR. quotidian. different. CXI. ubi simul disquirunt, utrum moderna denominatio *Camerae* fisco, vel potius aerario conueniat atque disceptationem inter Acursum et Budaeum hac de re ortam recenset.

b) L. fin. Cod. de vectigal. et commiss. L. fin. Cod. de bon. vacant. 10. CORAS. in miscellan. Iur. Lib. VI. cap. 19. SAM. STRYK. dissert. de sentent. contra fisc. ser. §. 4. sq.

c) HENR. DE COCCEI Iur. publ. prud. Cap. VIII. §. 18. 19. 20. CASP. HEIN. HORN. prud. iur. publ. cap. LX. §. 15. et 16. 10. IAC. MASCOV. princ. iur. publ. lib. VI. cap. III. §. 23. 26. 27.



perii, a) superioritate territoriali gaudentibus nullum superfit dubium; quumque inter status imperii locum omnino obtineant ciuitates imperii immediatae, et istis quoque iura fisci competere, nemo est, qui in dubium vocauerit. Idque non tantum circa ciuitates imperiales liberas in genere obtinet, sed et speciatim circa patriam meam dulcissimam, Francofurtum circa Moenum, cui in super ab Imperatore Maximiliano II. Anno M D LXXII. indultum est priuilegium, b) vi cuius, fiscus Senatorius omnibus creditoribus tam hypotecariis quam chirographariis, moto concursu creditorum, indistincte est praeponendus, quo ipso non tam nouum ius concessum, quam potius antiquum et cum aliis ciuitatibus commune, a nonnullis autem forsitan in dubium vocatum, renouatum vel confirmatum esse putauerim,

§. V.

Quod vero adinet ad aeraria ciuitatum municipalium vel prouincialium, nec non reliquorum magistratuum, iurisdictione gaudentium, istis non nisi per concessio-

a) Instr. Pac. Osnabr. Artic. VIII. §. 4. et commentator. ad hunc sphum.  
b) ipsum priuilegium, exhibet 10. ADOLPH. SEELIG, Francofur.

tensis in dissertat. sub praesidio 10. BERNH. FRIESEN, de different. iur. commun. et Statutor. Francof. circ. priuil. et priorit. creditor. §. 9.





cessionem summae potestatis, cui parent, eamque vel expressam, vel tacitam, vel alio legitimo modo acquisita tribuenda sunt iura fisci, *a)* et tunc quoque non omnia, sed speciatim indulta et praecipue beneficium praelationis quod ad tributa et collectas, intelliguntur, id quod in Saxonia fere vniuersaliter factum esse obseruamus. *b)*

S. VI.

Hisce praestructis ad ipsam rem et iura fisco, moto concursu, competentia propius accedo. Et quidem generatim obseruandum venit, priuilegium fisci et aerarii publici, quo isti plurimis creditoribus suum e massa bonorum debitoris petentibus, succurritur, aequitati naturali minime repugnare, idque quilibet confitebitur, qui secum reputabit, quod opes fisco illatae dignitatis imperantium sustentationi et publicis necessitatibus sint destinatae, *c)* adeoque fauorem, insignem eximiaque priuilegia, quae loquuntur omnes leges Romanorum et patriae, tam antiquae, quam recentiores,

*a)* MEVIUS ad ius Lubec. Part. II. tit II artic. 14. num. 60. 54. BERGER. elect. discept. forens. ad tit. XXXII. Obs 9. not. I. RICHTER. de iur. et priuileg. creditor. disp. VII. Sect. II. pag. 185.

*b)* FALCKNER. dissert. de iur. et priuileg. fisci cap. I. §. 10.

*c)* IO. GOTTL. HEINECC. in element. iur. nat. et gent. Lib. II. cap. VIII. §. 174.





tiores, in Iure Naturali omnino esse fundata istique minime contrariari. Sed obstare videtur notissimum istud *Modestini* *ICti* effatum: *a) non puto, inquentis, delinquere eum, qui in dubiis quaestionibus contra fiscum facile responderit.* Ex quo *ICti* nonnulli regulam stabiliunt, in dubio contra fiscum potius, quam pro isto esse pronuncian- dum. *b)* At enim vero hoc pronunciatum de iis saltim quaestionibus, ubi de augendo fisco, non autem ubi de eius conseruatione et inprimis de tributis et oneribus publicis praestandis et exigendis, sermo est, accipiendum omnino venit. *c)* Quoties autem extra hunc casum tributorum, vtriusque et fisci et priuati colligantis fundamenta et probationes in aequilibrio posita sunt, neutri alterum praefendum esse, et vtrumque potius pro rata concurrere, putauerim. *d)*

#### §. VII.

*a)* L. 10. ff. de iur. fisci.

*b)* MENOCH. lib. II. praesumt. 72. num. 3. seq. et qui adducuntur a SAM. STRYCK. in dissert. de sentent. contra fisc. ser. §. 17. seq. ubi varias recenset interpretationes huius leg. 10.

*c)* ANTON. PEREGRIN. de iur. fisci lib. VII. tit. III. num. 43. et 44.

WISSENBACH. exercitat. ad ff. disp. xxxviii. thes. 7. et 8. BRVNEM. ad l. 10. ff. de iur. fisci.

*d)* arg. L. 16. §. 8. ff. de pignor. et hypot. PEREGRIN. de iure fisci lib. IV. tit. VIII. num. 12. dissent. AMATOR RODRIQUEZ de conc. et priuil. creditor. Part. I. artic. II. num. 15.



## §. VII.

Potissimum autem fisci priuilegium, si certamen creditorum ad bona debitoris obaerati concurrentium spectes, in eo consistit, quod isti, intuitu tributorum et pensitatio- num realium legibus concessa sit hypoteca tacita et qui- dem talis, vi cuius reliquis creditoribus omnibus, modo exceperis eos, qui iure dominii suum postulant, item expensas ad funus ducendum et occasione vltimi morbi faciendas, nec non mercedem famulorum et paucos alios, a) speciatim vxoris quoque doti, iis itidem, qui hypotecam expressam iudicalem impetrarunt, praelocari debeat; b) id quod non tantum quoad tributa ordinaria, sed extra- ordinaria quoque obtinet. c) Et hoc introductum est non solum iure communi Romano, sed et per iura Germaniae statutoria quam plurima, e quibus in praesentia adduce- re lubet Saxonicum, d) Brandenburgicum, e) Bauari-

B

cum

a) RICHTER de concurs. creditor. disput. III. membr. I.

b) L. I. Cod. si propter publ. pensit. L. I. Cod. in quib. caus. pign. vel hypot. BRUNNEM in comment. ad hanc leg. CASP. ZIEGLER. de iurib. Maicst. lib. II. cap. III. §. 56. et 59. BERLICH. P. I. conclus. 64. num. 104. VALENT. RIEMER

dissert. de pignor. et hypot. thes. 100. e) CARPZ. P. I. const. XXVIII. def. 49.

d) Ordin. Proc. Saxon. Elect. Tit. XXXII. Ordin. Proc. Ernesti Duc. Saxon. P. I. cap. XVIII. §. 7. num. 5. Ordin. Proc. Henac. cap. XXVIII. §. 7. num. 5. Ordin. Proc. Altenb. renou. P. I. cap. XXXVII. §. 13. num. 4.

e) BRUNNEM. de Proc. concurs. credit. cap. V. §. II. Codex Friederic. Marchic. P. IV. tit. XI. §. 49. seq.



cum a) Schwartzburgic. b) et in Comitatu Schauenburgico vsitatum, c) nec non Lubecense d) Comit. Hohenloici, e) Nassouico-Cattinellnbo. f) ciuitat. Francofurtensis ad Moen. g) Silesiacum. h)

### §. VIII.

Iam memorata hypoteca et certo modo *specialis* est intuitu eius fundi, cui residuum pensitationum publicarum inhaeret, et *generalis* atque subsidiaria quod ad reliqua bona debitoris fisco competens. *Prior* est principalis cum iure praelationis prae omnibus fere creditoribus et in his quoque prae hypotecariis munita. *Posterior* autem saltim subsidiaria, et non nisi tunc, quum immobilia, a quibus debentur tributa, non suffecerint, i)

locum

a) *Gand-Ordnung des Fürstenb. Bayern*, impress. 1614. tit. II. art. 6. in verbis: *Stenz und Auffschlaeg von des Schuldners Gütern*, item artic. 9. lib. *des Grund-Herrn Grund- und Herrn Gültz*, nec non artic. 19.  
 b) *Ordin. Proc. Schwarzburg P. IV.* lib. II. §. 4.  
 c) *Hess. Ord. der Graffschafft Holftein-Schaumburg* de An. 1639. Part. V. tit. VI. §. 21. num. II.  
 d) *Ius Lubec.* Part. III. tit. I. art. 12. ibique *MEV.* in *Commentar.* ad hunc

artic. num. 4. §. 6. 7.

e) *Ius Prouinc. Comit. Hohenloic.* P. IV. tit. II. *von Gantb-Proceß.* §. 13. num. 6.

f) *Nassau-Carsenelnbog. Landes-Ord.* Part. I. cap. XIII. num. 9.

g) *Francofurt. Reformation P. I.* tit. XXXXVIII. §. 9.

h) *IO. ANTON. DE FRIEDENBERG Abhandlung von denen in Schlesien üblichen Rechten* lib. II. cap. XXVIII. §. 4.

i) *L. 2. Cod. de pignor.*



locum habet, simplex itidem est, et iure praelationis non  
 stipata. a)

VIII.

Accedit aliud privilegium, illudque eximium quod  
 nimirum pignus hoc tacitum initium capiat, non a tem-  
 pore solutioni praefixo, sed statim ab eo tempore, quo  
 onera realia fundis sunt imposita, b) adeoque pro-  
 prie ipsum praedium, non eius possessor pro debitore  
 habetur et in lege 7. pr. ff. de publican. expresse dicitur:  
*in vectigalibus ipsa praedia, non personas conveniunt.* Vbi  
 notandum, per vocem: *vectigalibus*, nihil aliud indicari,  
 quam onera quaevis realia fundis imposita. c) Huic  
 asserto obstare quidem videtur Brocardicum notissimum  
 simulque iustissimum: qui vult commodum, velit etiam  
 incommodum et quod ideo, qui fructus praedii alicuius  
 actu percipit, veluti usufructuarius, maritus res dotales  
 B 2

a) L. I. Cod. in quib. caus. pign. vel hypot. tac. contrah. in verbis: *universa bona eorum, qui censentur, vicepignorum tribus obligata sunt.* BERGER. elect. disceptat. forens. ad Tit. XXXII. obseru. VIII. et not. 2. ZIEGLER. de iurib. Maicst. Lib. II. cap. III. §. 56.

b) argum. l. 2. Cod. de praed. et

omnib. reb. nauicul. ibi: *res enim oneri addicta est, non persona.* MEVIUS in discuss. leuam. inop. debitor. cap. VI. num. 58. CARPZOV. Part. I. constit. XXVIII. def. 48. BERGER. elect. discept. forens. ad tit. XXXII. obseru. VIII. not. 2.

c) BRVNEM. ad cit. leg. 7. princ. ff. de publican.



possidens, et vidua nobilis dotalitio insiftens atque emolumenta omnia vel plura in vtilitatem propriam conuertens, ad praestanda tributa, tummodo quantitatem fructuum non excedant, teneatur. a) At facile collabitur hoc dubium, si consideramus, litem hanc tangere solos priuatos, proprietarium nimirum et possessorem, qui emolumenta fundi in proprios vsus conuertit, non autem fiscum. Hic autem, per iam deducta, vi pignoris legalis et iuris praelationis recte exigit collectas fundo inhaerentes ab ipso proprietario, saluo tamen eius recurfu ad usufructuarium, non obstante, quod dominus fructuum perceptionem alteri vel voluntarie, vel necessitate ductus, reliquerit, aut per negligentiam suam fundum deteriorem ita reddiderit, vt emolumenta per tributa exaequentur vel quoque superentur. Et inde quoque colligi potest, quod solutio collectarum et praestationum realium, durante quoque concursu creditorum non sistantur, sed omnino exigantur. b)

## §. X.

Probatum iam quidem satis esse puto, fisco et aera-  
rio

a) ZIEGLER, de iurib. Maieftat. lib. II cap. III. §. 35. 36. 37. et ab eo euocati.

b) MEVIUS discuss. leuam. inop. debitor. cap. VI. num. 57.

rio publico ius hypothecae tacitae cum iure praelationis eximio, legibus, indultum esse. Sed quaestio adhuc peculiaris euoluenda superest: Vtrum nimirum fiscus onera publica eaque realia petens et cum tali creditore priuato concurrens, qui non tantum iudiciali, eaque antiquiori nititur hypotheca, sed et insuper in eo se fundat, quod praedium pecunia a se mutuo data eum simulque ipsum dominium venditori, vsque dum integrum solutum pretium, ex legum dispositione competens, in sui fauorem ab isto fuerit abdicatum atque hoc modo creditori sit acquisitum, tributis et collectis realibus praeferrri debeat? praecipue quum praedium de quo sermo est, post obitum emtoris ad alium, iure hereditario transmissum fuit et residuum insuper tributorum, seu Steurarum non durante possessione ipsius acquirentis, sed post translationem praedii ad haeredem, excreuerit.

## §. XI.

Haud exiguis difficultatibus implicata est haec quaestio, et multa sunt, quae creditori, praeferentiam praefisco postulanti, fauent.

*Primo* enim loco allegari potest, quod is, cuius pecunia praedium comparatum est, iure praelationis praef aliis creditoribus plurimis et nonnullis quoque priuilegiatis, gau-



deat, idque tam quoad leges Romanas quam prouinciales Germanicas, imprimis autem in eo casu, vbi huic iuri assistit hypoteca expressa. a)

*Deinde* pro creditore militare videtur, quod ius eius per cessionem dominii a venditore factam, id quod fieri posse, nullum est dubium, b) magis adhuc firmetur, quum isti, qui restitutionem rerum, iure dominii poscunt, omnibus omnino creditoribus praeferantur.

*Denique*, quum residuum tributorum, quod fiscus in praesenti casu e massa concursus soluendum vrget, non ab emtore et eo tempore, quo is praedium possedit, sit contractum, sed ab eius haerede, ideo creditor ad separationem bonorum prouocare eoque ipso efficere queat, vt, exclusis reliquis creditoribus et in his oneribus relictis residuis, ratione fortis et vsurarum, ex bonis prioris possessoris iure optimo postulare possit, sibi persuasum habet. c)

§. XII.

a) L. 7. Cod. qui potior. in pign. habent. 10. KÖRPERN Part. I. dec. 28. num. 26. 10. MICH. BEVTHERR de iure praelat lib. I. cap. XVIII.

b) LEYSER specim. cccclxxix. medit. 6.

c) L. 1. §. 1. ff. de separat. L. 8. ff. qui potior in pign. vel hypot. MEVVIS in discuss. leuam. inop. debitor. cap. VII. num. 205. seq. RICHTER. de iur. et priuil. creditor. disput. II. ab iust.





## §. XII.

Vt ponderosa autem primo intuitu videantur argumenta adducta; nihilominus tamen, ubi singula curatius examinantur, tanti momenti non inveniuntur, ut in proposito casu creditori priuato ius praelationis prae tributis et oneribus realibus, cuius solutionem fiscus postulat, efficere queant.

*Primum* enim argumentum facile curruet, si consideraueris, id quod iam §. VII. enictum, hypothecam scilicet tacitam, quo fiscus, intuitu praestationum realium, gaudet, ita comparatam esse, ut quibuslibet creditoribus aliis, qui exceptiones ab hac regula probare nequeunt, praefertatur; nec non, quod, secundum ea, quae §. VIII. probatum, hoc pignus legale aerarii publici, in ipso fundo, et quidem a prima tributorum constitutione, vel impositione sit radicatum. Porro in L. 34. ff. de reb. auctorit. iudic. possid. legitur: *quod is, qui nauis fabricandae, vel emendae causa crediderit, vel ob nauem venditam petat, habeat* **privilegium post fiscum**. Quum igitur, quae in hac lege de nauis dicuntur, ad quoduis praedium possint accommodari, a) eo clarius apparet, pecuniam ad fundum  
emen-

a) MEYERVS Part IIII. dec. 319.



emendum suppeditatam, fisco non esse praefendam. Nec obstat L. 7. Cod. qui potior. in pign. hab., quippe quae de iure pignoris expresso et quidem priuatis concessio loquitur. Hoc enim ex verbis legis: *iisdem pignoribus, multis creditoribus diuersis temporibus datis*, luculenter apparet. Adstipulantur nonnullae leges patriae, quae onera debitoris fundis inhaerentia mutuis istis, quae ante venditionem contracta, cum ipso praedio ad emptorem transferunt, praefere iubent, e quibus adduxisse sufficiat Ordinat. Proceff. Altenburg. recogn. a) Schwartzburgens. b) Gothan. a Duce Erneffo condit. c)

§. XIII.

*Alterum* quod adtinet, licet concedatur, venditori, vt dominium, intuitu rei venditae, vsque ad pretii integri solutionem legibus ipsi reseruatam, in fauorem eius, qui ad fundum emendum pecuniam credidit, cedat, omnino licere, hancque cessionem nonnullos producere effectus. At enim vero per istam creditori actuale dominium non acquiritur, quum ad acquisitionem domini, per iura notoria, et traditio et animus transferendae proprietatis, qui tamen

a) Part. I. cap. XXXVII. §. 13.

b) Part. III. Tit. III. num. 4. et 6.

c) Part. I. cap. XVIII. §. 7.

tamen in proposito casu prorsus defuit, coniunctim requirantur. Deinde, dominium non ordinarium sed subsidiarium saltim, quod in effectu nihil aliud est, quam hypoteca, a) sibi hoc modo comparasse creditor dici potest, at hoc facto praedium non aliter quam cum onere translatum fuisset, venditorque cedens plus iuris quam ipsi competiit in creditorem transferre non potuit. Accedit, hanc cessionem, tanquam rem inter alios actam, fisco nullo modo fraudi esse, nec ius eius quaesitum, quo ipse fundus, non possessor eius, intuitu tributorum, pro debitore habetur, siue, vt FRANTZKIVS b) loquitur, instar alicuius seruitutis isti adhaeret, adimere posse.

## §. XIII.

Reliquum est vt

*Tertia* remoueatur exceptio a beneficio separationis desumpta. Vbi quidem ante omnia monendum, hic de casu, quo diuersa genera onerum realium, quorum scilicet alia a priore domino, alia a posteriore soluenda erant, sermonem non esse, quia tunc separatio bonorum omnino locum habet et prioris generis collectae posteriori-

C

steriori-

a) BERGER. in elect. disceptat. | not. 2. Obseruat. III. not. 6.  
forens. ad tit. XXXXII. Obseruat. III. | b) in Resolut. qu. II. num. 1.



sterioribus merito praeferuntur. a) Nec mihi iam sermo est de illa specie separationis, qua creditores vnus debitoris iure domini bona sua propria, vt sunt depositum, commodatum, dos vxoris et alia, quae extra concursum vindicari possunt, et recensentur a BRVNNEMANNO b) inter bona debitoris deprehensa ex concursu repetunt; quam speciem tamen sunt, qui prorsus separationem bonorum vocari, nisi improprie, negant: c) sed de ea, vbi creditores diuersorum debitorum, quorum bona sunt confusa, modo, in legibus praescripto, vt ista separentur postulant. d) Hoc ius separationis insignibus licet coruscans priuilegiis, tamen in praeiudicium tributorum locum non habet, sed vbi obaeratus debitor alterius aequae obaerati haeres factus vel post haereditatem aditam aes alienum contraxerit, tunc collectarum publicarum residuum ab haerede contractum omnibus antecessoris creditoribus praefertur. e) Atque ita non sine ratione sentio. Nam Lex: I. Cod. si propter publ. pensitat. generale principium ponit: *potior*

a) BERGER. in elect. discept. forens. ad tit. XXXXII. Obseru. VII. not. 1. pag. m. 1303.

b) de concurs. creditor. cap. V. §. 5. seq.

c) LEYSER specim. CCCCLXXIX. medit. 9.

d) confer. HENR. CHRIST. HÄCKE diss. de separat. patrimonior. in concursu XLVI. BRVNNEMANN cit. loc. §. 12. seq. et IO. SCHILTER ad ff. exercit. XLVI. §. 42. seq. e) LEYSER dict. specim. CCCCLXXVIII. medit. 3. et 4.

*potior est causa tributorum, quibus PRIORE LOCO omnia bona obligata sunt, et in L. 2. insequenti: quod venditio sine auctoritate praesidis facta reuocari possit sancitur, addita tamen generali constitutione: ita, ut indemnitati tributorum OMNIBVS MODIS consulatur. a)*

## §. XV.

Propter hanc igitur generalem dispositionem obiiici mihi non potest Lex. I. §. 4. ff. de separat. vbi dicitur: *quod etiam contra fiscum et municipes impetretur separatio.* Nam ista potissimum de praestationibus aerariis *ciuitatum* loquitur id quod indicat quoque vocabulum: *municipes* simulque de casibus, vbi fiscus, mediante contractu hypothecam in bonis debitoris sui consecutus est, ideoque non de publicis pensationibus intelligi posse, verosimile est. Quod si autem hanc limitationem cum quibusdam interpretibus iuris *b)* admittere nolueris, tamen ius Pandectarum tanquam legem priorem per leges Codicis posteriores a me iam expostas et alias mutatum esse, perspicue apparet. Dicta vero vnice intelligenda velim de iis saltim

C 2

collectis

*a)* BRUNNEMANN. in Comment. ad Leg. alleg. I. et 2. Cod. si propt. publ. pensit. et IO. SICHARD. in Commentar. ad hanc leg. I. num. 10.

*b)* inter quos referendus dicit. BRUNNEMANN. in Commentar. ad hanc legem num. 9.



collectis quae ipse possessor praedii, cui inhaerent, adhuc debet, non de iis, quae administratores et collectores tributorum iam acceperunt et in vsus proprios fraudulenter conuerterunt, nam intuitu horum iuri separationis omnino locus est, a) licet aliter sentiat VLRIC. HVBERVS b) et in hoc quoque casu fisco beneficium separationis minus nocere opinetur.

§. XVI.

Haec sufficiant quod ad placita Iuris Romani. Mores et Iura patria si spectamus, eadem fere obtinent et iuxta nonnullas constitutiones speciales ius separationis, intuitu fisci profus exultat, ita vt quoties de collectis publicis iisque realibus agitur, creditores ad id prouocare nequeant. Ita res comparata est in terris Brandenburgicis olim et hodie. c) Idem quoque constitutum est nouissime, vt alias Leges prouinciales, breuitatis studio praeteream in terris Vinariensibus per mandatum generale d. d. 3tio Martii 1759. huius tenoris: *Weil die Rechts-Frage: Wie weit dem Fisco*

a) WERNHER Tom. II. Part. VI. obf. 333. BERGER elect. discept. forens. ad Tit. XXXII. obf. VIII. not. 3. pag. m. 1311. et not. 7.  
b) in praelection. ad ff. lib. XX. tit. VI. num. 8.

c) BRUNNEMANN, de Proc. Concurf. creditor. cap. V. §. II. MANDAT. REG. FORVSS. d. d. 4. Nouemb. 1713. in Cod. Frideric. March. Part. III. tit. VIII. pag. 365.



*Fisco in Ansehung der bey Concursen liquidirten Real-Onerum ein Vorzugs-Recht zustebe? bishero streitig gewesen; als ordnen wir - - daß vors künftige bey entstandenen Concursen der Fiscus und die aeraria publica in Ansehung derer ordentlichen Steuern, Erbzinsen und aller onerum realium, wie die Nahmen haben mögen, vor allen andern Gläubigern - - lociret und befriediget werden sollen etc. und nicht zugelassen, daß unseren Fürstlichen Cammer- und Landschafts-Cassen, auch Kirch-Kästen und Waisenhäusern, ratione ihrer Forderungen und von andern Creditoribus, es sey unter dem Vorwandt eines reservirten Eigenthums, Separations-Rechts, oder sonst irgend einer andern Vrsache, blos des Debitoris Communis Begraebnis-Kosten, ferner das Sostrum des Medici und Chirurgi, von des Debitoris Communis letztern Kranckheit, nicht weniger rückstaendiges Lied-Lohn und Erbe-Gelder etc. ausgenommen, Zweifel erveget oder deshalb weitlaeuftige Rechtfertigungen verbaenget werden sollen.*

§. XVII.

*Duriora hucusque exposita forsitan nonnullis videntur et aequitati naturali contraria, nec non Reipublicae commodo, quod conseruationem fidei publicae omnino requirit, minime inferuentia. Frustraneum esse dixeris, licet quis omnem pro acquirenda pecuniae mutuo*



dandae securitate, curam ac diligentiam adhibuerit et de hypotheca iudiciali constituenda, dominio reseruando et alio quouis modo sibi prospexerit, quoties alicui cum fisco agendum erit; per fraudem enim debitoris aequae ac per negligentiam administratorum fisci ac aerarii publici fieri facile posse, ut infcio creditore insigne quantum tributorum residuum maneat, hocque facto is qui pecuniam alteri ad utilitatem eius promouendam et damnum imminens auertendum, bona fide credidit, non propria culpa, sed post omnem quoque adhibitam vigilantiam, iacturam mutui sui faciat.

S. XVIII.

Sed, hac re curatius perpensa, nihil iniquitatis apparet. Nam periculum creditis priuatorum imminens partim ipse creditor circumspecte res suas agens auertere potest, partim legislatores aequitatis rationem omnino habentes auertere operam dederunt, dum priuilegiis fisco ac aerario publico concessis, varias adiecerunt limitationes ac restrictiones. Ipse enim creditor periculo ipsi imminenti obuiam ire facile potest, si consilium a BERGERO a) emtori fundi alicuius iam suppeditatum in suos vsus

a) in elect. discept. forens. ad tit. XXXXII. obs. VIII. not. 3. pag. m. 1311.





vlus conuertit et antequam nummos mutuo dandos perfoluat, in onera publica, quae eo tempore in residuo haerent, inquit, istaque, vbi quantum alicuius momenti inuenerit, a mutui quantitate detractum ipse aerario soluit publico, nec non, vt ne in posterum circa pensitationes publicas graue aes alienum contrahat creditor, inspiciendo apochas administratorum, praestationum fundis inhaerentium curam adhibeat. Id quod eo facilius fieri potest, quum non tantum is, qui ex productis apochis se proximis tribus annis soluisse, probauit, idem, quoad praeteritos quoque annos fecisse, praesumatur <sup>a)</sup> sed et per ea, quae §. VIII. deducta sunt, priuilegia insignia quibus fiscus est munitus, principaliter tangant istos saltem fundos, quibus inhaerent tributa, reliqua autem debitoris bona in subsidium demum afficiant.

### §. XVIII.

In legibus quoque occurrunt cautiones non nullae, creditoribus cum fisco concertantibus omnino proficuae. His quidem vtrum istud annumerandum sit, quod magistratus, qui in exigendis Collectis et oneribus realibus  
negli-

<sup>a)</sup> L. 3. Cod. de apoch. publ. | 14. seq. IACOB. MENOCH. praef.  
ALEX. TRENTACINO. Lib. II. Tit. | sumt. 139. per integr.  
de fide instrument. Resol. 2. nam. |



negligentes se exhibuerunt, et quae exigere potuerunt, non exegerunt, iure praelationis priuari debeant, vt non nulli contendunt, a) pro incerto habeo, saltim de eo, quod hoc vniuersaliter non obtineat, persuasus sum. De eo autem, quod administratores et collectores Steurarum et quarumuis onerum realium, in exactione eorum negligenter versantes vel debitoribus, donis corrupti, conniuentes, residua ex propriis praestare debeant, nullum superest dubium. Nam si etiam legem 6. ff. de administrer. ad ciuit. pertin. vbi disponitur, *quod magistratus reipublicae non dolum solummodo sed et latam negligentiam, et hoc amplius etiam diligentiam debeant*, ex qua nonnulli, quod residua tributorum, quorum exactio, culpa administratorum per plures annos omissa fuit, non ex massa bonorum debitoris sumenda, sed ex propriis administratorum facultatibus supplenda veniant, colligere student, silentio praeteream; attamen in multis functionibus patriis peculiaribus hoc perspicue constitutum legimus.

§. XX.

Ex hisce legibus statutariis non nullas saltim adducere lubet. Ita in Comitatu SCHAVMBURG. ordinatum quod prae-

a) BERLICH. Part. I. conclus. | priuileg. creditor. cap. II. membr. V.  
LXIII. num. 12. RICHTER de | num. 15.



praestationes reales et contributiones non nisi binis ante concursum motum annis residuae, ex massa bonorum, reliquum autem ex officialium propriis solui debeant facultatibus. a) Deinde iure Bauarico statutum, quod census annuus de fundo quodam praestandus, quoties dominus fundi per tres annos fidem de eo habuerit, quoad vnus saltem anni spatium priuilegio praefertentiae et hypotecae tacitae frui debeat, excepto tamen casu fortuito si is census solutionem impediuerit, b) id quod sine dubio de tributis quoque sentiendum venit. Eadem et quidem magis perspicue statuta inueniuntur in terris Brandenburgicis, praecipue Marchicis c) et quidem sequentibus in verbis: *Daber ordnen und wollen Wir, daß diejenigen Bedienten, welche dergleichen Contributiones und andere Gefaelle nicht beygetrieben haben - - denen übrigen Creditorn, welche ihre Forderungen in das Hypotecken-Buch eintragen lassen, in solidum lasten sollen.* Id quod et ad reliquas praestationes annuas ita accommodatum, vt in posterum priuilegium praelationis eius modi oneribus concessum non nisi quoad ea, quae biennio ante exortum concursum creditorum residua fuerant, locum inuenire debeat. d)

D

Porro

a) Hollstein - Schaumburg. Hoffger. Ord. Parr. V. tit. VI. §. 21. num. 1.

b) Ordnung des Gant - Processus des Fürstenth. Beyern Tit. II. art. 6.

c) Codex Friederic. Marchic. P. IV. tit. VIII. §. 51.

d) idem Codex Friederic. March. dict. loc. §. 61.



Porro in supra allegata constitutione Vinariensi de An. 1759. idem fere sancitum est in verbis: *jedoch allein wegen der letztern drey Jahre vor eröffnetem Concurs lociret und befriediget werden sollen, immasen die aeltern Reste, falls nicht Execution oder Gerichtliche Auflagen vorhero gesucht oder deswegen geklaget worden, bey den Concursen nicht liquidiret, sondern von denen Einnehmern wegen ihres hierunter begangenen Saumsaals bezahlet und eingebracht werden, wobey ihnen doch nachgelassen bleibet, sich ihres Regresses halber unter denen chirographariis mit zu melden und daselbst ihrer Location zu erwarten.*

§. XXI.

Tandem dispiciendum de vsuris a residuo collectarum et tributorum praestandis. Vbi, quod debitores ipsi secundum rigorem iuris communis ad vsuras a tempore morae commissae soluendas teneantur nullum quidem est dubium, a) praecipue si sint compensatoriae, non punitoriae. b) Talis autem rigor in foro, qui hic aequitatem sequitur, teste experientia, non obseruatur et vsurae, nisi a debitore expresse promissae, non sunt praestandae. Quod autem ad magistratus et collectores in exigendis oneribus ad Principem

a) CASE. BLOCK. tract. de Contribut. cap. XVIII. num. 514. seq.

b) MEVIUS Part. II. decis. 162.



cipem et Rempublicam spectantibus, negligentes adtinet, lex 17. §. 7. ff. de vsuris et fruct. eos qui ex administratione rerum ciuitatum conueniuntur vsuris obnoxios esse, satis notum esse, loquitur, et nullum est dubium quin haec aequae aliae eiusdem tenoris leges ad fisci quoque administratores pertineant. a) De eo autem merito dubitatur: vtrum tales vsurae a fisco postulae, exorto concurrentium debitorum certamine, ex massa bonorum exsoluendae veniant? Mihi optimum videtur enunciatum BERGERI a) aientis: Mora ab administratoribus in exigendo admissa fisco potius, quam ceteris debitoribus damnosa esse debet. Satius enim est, fiscum experiri contra administratorem, quem ipsemet constituit, ad sarcienda damna, quae ex neglectu muneris dimanant, quam obtento iuris rigore, a fisco in concursu, creditoribus, tanquam tertiis petitione vsurarum praeripi sortem. Et eandem sententiam et alii iuris interpretes, c) et vsus quoque fori probat.

T A N T V M.

a) FRIEDER. ES. PVFFENDORF  
Tom. II. obsera. 179. ibique excit.  
Westenberg. in Diuo Marco diss.  
XXII. §. 9.  
b) in elect. discept. forens. Sup.

plem. II. num. V. ad obseruat. 7.  
pag. m. 855.

b) MEVIUS dict. decif. 162. qui  
autem hoc saltim de punitoriis obti-  
nere statuit.

⌘ ( ⌘ )

D 2

GENE-



GENEROSO ET DOCTISSIMO  
SVM MORVM IN IVRE HONORVM  
CANDIDATO

IO. CAROLO BAVR AB EYSENECK

S. P. D.

P R A E S E S.

Quam mihi recensendam exhibuisti, VIR GENEROSE atque DOCTISSIME, dissertationem inauguralem exacte et erudite elaboratam, hanc TIBI, paucis additionibus factis, nunc reddo, TIBIQUE nouum hocce eruditionis scientiae TVAE legalis acquisitae documentum, quale iam e cathedra philosophica haud ita pridem edidisti, ex animo gratulor. Non solum TIBI autem de feliciter et laudabiliter absoluto studiorum Academicorum cursu, nec non de gradu Doctoris, quo TE dignum omnino iudicat Facultas Iuridica, impense gratulor, sed et Parentibus et genti, cui originem debes, splendidae, patriae itidem florentissimae, de optimae spei filio cognato et ciue. Immortale Numen benedictione et gratia sua impofterum quoque adfit TIBI et conatibus TVIS exoptatos semper largiatur successus. Ita precor et simul amicitiae TVAE, VIR GENEROSE ac DOCTISSIME, de meliori me commendo. Vale et res TVAS eliciter age. Scribebam Ienae, d. XVIII. Septembr.

A. R. S. M DCC LX.

GENE.



○ GENEROSISSIMO AC CONSULTISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO

S. D. P.

CAROLVS AVGVSTVS TITTEL, D.

**S**emper fuerunt in Academia nostra, qui solidae eruditionis studio tenebantur eaque sibi non solum famam et existimationem conciliare sed potissimum etiam reipublicae prodesse adlaborabant. Horum **TIBI**, **VIR GENEROSISSIME**, exempla ita semper ob oculos posuisti, ut imitando illa magis, quam intuendo **TIBI** consuleres. Quare cum in laboribus academicis rite desudandum statueres, aditum **TIBI** ad summos in iure honores, qui illos sequuntur, aperuisti. De hac dignitate, dudum promerita, quae **TIBI** mox confertur, non possum non **TIBI** ex animo gratulari; optans sincere, ut maxima illam sequantur emolumenta. Gratulor **TIBI** etiam dissertationem **TUAM** doctissime conscriptam, quam contra dissentientes strenue defendes. Testem me esse voluisti eius, quod hodie editurus es, doctrinae speciminis, illoque munere eo libentius fungor, quo magis iam alias industriad atque praeclaram **TUAM** iuris scientiam mihi aliisque probasti. Caeterum, ut me fauore **TVO**, quem magni facio, complecti velis, enixe abs **TE** peto. Vale.  
Dabam die xx. Sept. anno cdo 1000 lx.

D 3

GENE-





GENEROSISSIMO DOMINO DOCTORANDO  
 ET HVIVS  
 DISSERTATIONIS AVCTORI  
 PRAESTANTISSIMO  
**IO. CAROLO BAUR AB EYSNECK**  
 S. P. D.  
 ADOLPHVS HENRICVS GRAV  
 GERMERODA HASSVS L. L. C.

**A**micitia TVA, VIR GENEROSISSIME! qua me non solum in hac illustri Musarum sede per tres fere annos, in quibus propter illam saepissime vitam habui dulcissimam, verum quoque hodie haud dedignatus es, mihi semper fuit iucundissima. Siquidem quod Opponentis prouinciam mihi deferre non dubitasti, maximo mihi honori laudique hocce duco ideoque beneuolae TVAE, Amice aestumatissime, inuitationi locum apud me concessi. Non possum non TIBI pro TVA beneuolentia, qua me saepissime et praesertim hodie amplexus es, grates publice iam peruoluere decentissimas. Proposuiisti, Academiae, quae heic floret, valedicere; eas, quas TIBI studio, labore, vigiliisque comparasti, scientias cum ciuibus vrbis patriae communicaturus. Quamuis vero institutum hocce sit optimum atque laudatu dignissimum: ipse tamen tuus abitus mihi dolorem affert, si modo perpendo, quantos mihi fructus TVA attulerit consuetudo, quae mihi tecum fuit. Recreat autem et reficit me huius diei solennitas, quo summa in iure dignitas TIBI, DOCTORANDO GENEROSISSIME, DOCTISSIMEque, tanquam laborum corona confertur. Gratulor ergo TIBI de isto honore, quo TE Familia TVA GENEROSISSIMA dignum exhibes. Gratulor Patriae TVAE carissimae quae TE suscipiet ciuem, cuius doctrina atque eruditio insignis est et eo magis de TE gloriabitur, quo minus Viri ex splendido genere nati litteris eodem feruore, ac TV, VIR GENEROSISSIME, solituses, incumbere soleant omnes. In laudes TVAS hic facile excurrere possem, sed





sed modestia, qua splendes, id prohibet et laudibus meis etiam non indiges. Mihi igitur tantum, quod necessitudo, quae inter nos intercessit, postulat, reliquum manet, ardentissimas pro incolumitate TUA ad coelum mittere preces. Deus ter optimus maximus TE semper seruet sospitem ac incolumem. Seruet TE Parentibus TVIS Generosissimis. Seruet TE Patriae. Seruet TE Amicis. Seruet TE denique toti Reipublicae litterariae. Vale igitur, VIR GENEROSISSIME, et res tuas semper age prosperrime. Me autem vt absentem quoque fauore prosequi, pergas etiam atque etiam abs TE peto. Dabam Ienae die XVIII. Sept. CIO IOCC LX.

VIRO GENEROSISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
IVRIVM DOCTORANDO  
**IO. CAROLO BAUR AB EYSENECK**  
S. P. D.  
**IAC. HENR. ERANC. DE LICHTENSTEIN**  
MOENO-FRANCOF. OPPONENS.

**M**agnum honorem et affectum, VIR GENEROSISSIME, mihi exhibuisti, cum publicè opponentis partibus, mihi beneuolè abs TE oblati, sim functurus. Valde laetor, me nunc quoque occasionem iamdudum exoptatam habere, tuam exquisitissimam eruditionem audiendi, de qua publica specimina iam dedisti, ex quibus TUA cognitio solida rerum iuridicarum, TVVMQUE acutissimum ingenium ac indefessum studium satis superque eluxerunt. Nostra patria TE ralem imposterum summo iure admirabitur, qualem iam TE in hac Academia eruditissimis ac peritissimis doctoribus probasti. Quanto gaudio TVI Parentes Generosissimi ac Amici perfundentur, si TE in omnibus Iurisprudentiae partibus versatissimum domi reuersum videbunt! Gratulor igitur TIBI, VIR GENEROSISSIME, TVAEQUE genti illustri, de honore dignitateque obrenta; iamque



iamque mihi videris in patria nostra fructibus vberimis TVAE diligentiae munereque TVAE dignitati decentibus frui. Ex animo TIBI cum omnibus amicis opto, vt numen supremum TE saluum et incolumen quam diutissime seruare velit. Dab. Ienae, d. XVIII. Septembr. M DCC LX.

À MONSIEUR BAUR D' EYSENECK.

**M**ONSIEUR, permettez que je Vous donne des marques publiques de la joie que le ressens de Vous voir à la veille d'être décoré du bonnet doctoral. VOTRE dissertation est remplie de goût, et d'érudition, et nous prouve suffisamment que Vous êtes digne des honneurs dont Vous allez être comblé. Puissiez Vous pendant longues années faire la consolation de VOTRE Illustre Famille et le bonheur de tous ceux qui auront recours à Vous! En mon particulier je Vous rends grace MONSIEUR, de l'honneur que Vous m'avez fait de me choisir pour un de Vos opposants; je profiterai d'autant plus de Vos lumières et de VOTRE érudition, et un tel avantage m'engera à être toute ma vie, après m'être recommandé à VOTRE bienveillance, avec la plus parfaite considération,

**M O N S I E U R,**

à Iene ce 19. Sept.

1760.

VOTRE très-humble et très-obeissant  
Serviteur

P. HEYLIGENSTAEDT,  
d'Halberstadt.







Ks 81

(alt Hützeldein)  
Vildmann

23-43.1) Peter

29.1.01

Vd 18


ULB Halle 3  
003 905 977



5b.

MC







40  
546. 40.  
DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE  
IVRE PRAELATIONIS FISCO,  
INTVITV TRIBVTORVM, PRAE  
CREDITORE HYPOTECARIO, CVIVS SIMVL  
PECVNIA FVNDVS EST ACQVISITVS, ET  
CVI DOMINIVM A VENDITORE CESSVM,  
COMPETENTE,

QVAM  
DIVINIS AVSPICIIS  
IN ACADEMIA IENENSI  
EX DECRETO  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO  
PAVLO WILHELMO SCHMID, ICTO

PROFESSORE PVBL. ORDIN. SERENISS. DVICIS SAXO-COBVRG.  
CONSILIAR. AVLIC. CVRIAE PROVINC. FACVLT. IVRID.  
ET SCABINOR. COLLEGII ASSESSORE

PRO GRADV DOCTORIS  
IN VTROQVE IVRE RITE ET MORE MAIORVM OBTINENDO

AD DIEM XX. SEPT. A.O.R. MDCCLX.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR

IO. CAROL. BAUR AB EYSENECK

MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

IENAE, LITTERIS SCHILLIANIS. 6)

30.